

**Duval, François-Antoine-Jacques -
candidat / Calmé, Jean-Baptiste -
président. - An alia in juvenili, alia in
senili aetate sensibilitas, tùm physica,
tùm moralis ?**

1788.

**Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°162bis**

110

PATRI OPTIMO,
ANTONIO-PETRO DUVAL,


IN SUPREMO SENATU PATRONO,




Reverentia, pietatis, grati semper animi monumentum,

DICAT, VOVET, CONSECRAT

Obsequentissimus & addictissimus filius,
Franciscus-Antonius-Jacobus DUVAL,
Bacc. Med. Parisiensis.







DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCE,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIU Santé
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-tertiâ
mensis Novembris, anno Domini M, DCC, LXXXVIII.*

M^o. JOANNE-BAPTISTA CALMÊ, Doctore
Medico, Præsîde.

An alia in juvenili, alia in senili ætate sensibilitas, tùm physica, tùm moralis ?

I.

IN mirandam æconomiz animalis fabricam animi oculorumque acie conversâ,
homo nisi desipiat, duas substantias non potest non percipere, quarum alia
certâ organorum dispositione donata, corpus materiale constituit: alia vero

A ij

simplex à materiâ diversa, cogitationis, volitionis, sensationisque capax, anima dicitur. Hæ substantiæ, etsi à se invicem multum diversæ, attamen arctissimo, junguntur vinculo, maximumque inter se ineunt commercium, adeò ut ex unius affectibus, alterius subsequantur affectus; quod quidem demonstrat constans hominum observatio. Ex earum substantiarum unione oritur sensibilitas, cujus natura p̄m̄ in juvenili, tùm in senili ætate, nunc à nobis evolvenda est. Ut verò nihil superfit quod reliquum sermonem obscuritate quâdam involvere queat, necessarium videtur quasdam generaliores definitiones præmittere.

Sensibilitas in genere dici potest, aptitudo animæ ad percipiendam corporum impressionem, & ad reagendum istius impressionis occasione. Sensibilitas itaque vel passiva est vel activa, seu potius vel physica est vel moralis. Sensibilitas physica cū *Hallero* definiri potest, ea mentis nostræ mutatio quæ ex corporis humani cum mente connexi contactu oritur; sensibilitas verò moralis, est animæ actio circà perceptam sensationem. Juvenilis ætas apud me audit illud vitæ stadium, quod evenit juxtà vigesimum annum; senilem ætatem constituit quinquagesimus annus & qui proximi succedunt.

Ex hisce necessariis definitionibus, solemnis oritur divisio disquisitionis nostræ in quatuor partes, quas distinctis paragraphis sigillatim examinabimus. 1°. Dicemus de sensibilitate physica & morali in genere. 2°. Utramque sensibilitatem in juvenili ætate considerabimus. 3°. Proximū erit ut de utriusque sensibilitatis ratione in senili ætate dicamus. 4°. Collectis comparatisque omnibus argumentis in præcedentibus paragraphis allatis, deducendæ erunt conclusiones tuendo proposito Idoneæ. Nimium igitur me fortunatum crediderim, si, mihi in evolvendâ tam difficili quæstione, feliciter ad metam attingere contingat.

I I.

ANIMA, ens illud immateriale, cujus forsan excellentia in causâ fuit cur à quibusdam habita fuerit, pro summi Numinis ipsius emanatione, principium est omnis actionis in corpore; & meritò medicinæ superbire liceret, si apprimè cognitum haberet limitem ejus imperii, in materiâ corporeâ: tantummodò haud nescit ab eâ corpus in actionem poni, ab illâ cogitationem & voluntatem defluere, quòd eam sensibilitatem quam diximus moralem efficit:

scit aliundè in suâ cogitatione , determinari impressione sensuum ; quòd sensibilitas physica dicitur. De utriusque sensibilitatis naturâ , nunc est dicendum. Cùm verò sensibilitas moralis intelligi nequeat , quin priùs de sensibilitate physica definitum fuerit , ordo requirit , ut ab eâ sermonis initium desumamus. Monendum interim est , non integram de utrâque sensibilitate doctrinam , sed decerpta hinc & indè aliquot exempla nunc esse tradenda , quæ scilicet utiliora ad nostrum propositum videbuntur.

Quinque sunt in corpore humano sensus , qui externi nuncupantur , ut ab internis distinguantur ; ab iis ambientium corporum impressiones ad cerebrum veniunt , & indè animæ traducuntur , undè fit sensatio. Sed ut ea fiat sensatio , contactus requiritur. Sic in visûs sensu , radii colorati , certo gradu certoque refracti modo à diversis oculi humoribus , in retinæ membranam incidunt : sic in auditûs sensu , aëris sonori tremores , in timpani membranam impingunt , & per consentientes ossiculorum organi auditûs tremores , ad nervum acusticum transmittuntur : sic aër odoratis vaporibus plenus , irruens in eam membranam quæ narium caveam vestit , sensum olfactûs procreat : sic in gustu , corpus sapidum linguæ applicatur : sic demum digitos apprimimus ad corpus , cujus qualitates tactu dignoscere volumus. Tot verò inter diversas partes , quæ corpus materiale constituunt , solus nervus sensibilitatis functioni à naturâ fuit accommodatus. Non immeritò indè systema nerveum , dictum fuit organum sensûs. Si enim nervus in suâ extremitate sensili à corpore quocumque contingatur , tunc nascitur in animâ mutatio , per quam hujus contactûs conscia redditur. Nunc eam in extremitate nervi factam impressionem ad cerebrum venire necessarium videtur ut fiat sensatio ; etsi D. Perrault (1) & Sthaliana Schola quæ eum secuta est , dixerit sensum in eâ nervi parte perfici , quæ externorum corporum contactui exponitur. Sed ea opinio , vix sustineri potest. Liquet enim ex numerosis experimentis , nullam fore sensationem , si iter à cerebro ad nervi extremitatem impeditum fuerit : sic à ligato resecto-ve nervo , omnis ea pars quæ infrà vinculum sectionem-ve reperitur , sensui perferendo impar redditur. Sensuum ergo impressiones per nervos ad cerebrum veniunt , & indè menti repræsentantur : rem certissimam esse multa declarant ; quomodò fiat , quis explicare valuerit ? Sensatio itaque in animâ fit , & hic ultimus est sensibilitatis physicæ finis. Coëtera quæ in animâ peraguntur occasione istius sensationis , ad sensibilitatem moralem pertinent.

(1) De sensu Tactûs.

Eam nunc sensationem five ideam anima percipit, nempe conscia est aliquid sibi repræsentari: novus in eâ status nascitur, qui prius non fuerat, isque status, perceptio dicitur. Nec tamen omnes sensationes ab animâ percipiuntur, sed eæ solæ, quæ paulò fortiores, aut minùs per consuetudinem nobiscum familiares. Sic per totum vitæ curriculum, non percipimus contactum vestium in cutem, sonos perdebiles, quæ omnia percipimus quam primùm libet. Ab animâ perceptæ sensationes, in eâ retinentur, & per quinquaginta centum ve annos, si ad eam ætatem homo supervixerit vividæ & limpidæ supersunt. Ea proprietas conservatrix memoria dicitur, quando signa revocantur; imaginatio verò, quando sensationes ipsæ renovantur (1). Quædam per memoriam conservatæ sensationes, ex animæ arbitrio revocantur: sæpè etiam spontè & injustæ menti se obtrudunt; sed eas fortissimas esse oportet; sic memoria iacturæ, indignatio repulsæ, cum mente quasi consenescit. Cum huic sensationi five per sensus, five memoriæ operâ advenienti, anima sese totam intendit omni aliâ sensatione interim exclusâ, tunc attentio oritur (2). Ea enim videtur esse animæ angustia, ut tantummodò unicam ideam clarè percipere possit, plures verò unâ distinctè contemplare nequeat. Sed ea attentio, difficilis admodum est, etenim aliæ ideæ spontè menti repræsentantur, priorem excludunt, vel confusam faciunt: quibus itaque res est ferò ad ideam attendere, solitudinem querunt, absentiam nempe fortiorum sensationum; ideoque quibus unus aboletur sensus, aliis rectius valent, iisque major attentio. Sic referente *Pechlino* orationes sacras, totas ediscebat cæcus. Sic *Saundersonius* cæcus, maximo cum plausu mathemata docuit. In eo ab attentione differt cogitatio, quod ea sit successiva animæ attentio, ad idearum seriem.

Homini, non tantùm ad speculationem, animæ facultates à naturâ concessæ fuerunt, sed ut aliquid haberet, undè suæ regerentur actiones. Pessima itaque foret ejus conditio, si tantummodò in suarum actionum directione, auxilium acciperet ab iis quæ certitudine veræ notionis innituntur: ejusmodi notiones, cum angustis limitibus circumscribantur, cum plerumque desint, sæpè in suis actionibus, anceps dubiusque remaneret; nisi alia foret facultas, quæ hujus notionis vices gereret. Ea verò facultas quam paternus Dei amor nobis concessit, judicium dicitur. Hujus ope duas ideas comparando, anima easdem, vel

(1) *Encyclopédie méthod. logique.*

(2) *Locke, de l'Entendement humain.*

diversas esse, pronuntiat. Facile inde intelligitur iudicii perfectionem, esse in accuratâ idearum comparatione; inde ea animæ facultas, lentum ingenium requirit. A iudicio vix voluntatem separare possis, cum prioris consequens sit. Voluntas enim ea est animæ actio, quâ conditionem quam sibi gratam esse censuit, aliâ quam ingratam iudicavit, anima anteponit ad eam nunc conditionem sibi parandam, anima corpori motus ad id idoneos imperat. Hujus imperii animæ in corpore, tam insignes sunt effectus, ut à nemine possit in dubium revocari; modus verò quo perficitur, disputationi ansam præbere potest, sed de eo nullus hic erit sermo. Hactenus sensibilitatem tum physicam, tum moralem brevibus verbis indigitavi, instituto nunc ab initio ordine, ad utriusque naturam in juvenili & senili ætate tradendam, deducor.

I I I

In æquilibrio constituendo diversarum partium quæ ad corporis compositionem veniunt, natura per hominis juventutem versatur. Tot verò inter partes sui dissimiles, consensus iste diu subsistere nequit; elementi enim terrei sensim augente copiâ, brevi rumpitur æquilibrio, & exinde ad senectutem, ipsamque mortem clanculum pergit. Proh fortunata ætas! Organa, quæ menti tuæ sensuum impressiones transmittunt, eo tunc tempore perfectissima sunt. Ejusmodi impressiones, eò vividius mentem tuam percellunt, quò es junior. Sed eæ durabiles non sunt: cum enim tibi nova sint omnia, cum idæ sensationesque rapidè se excipiant, priorem subsequens excludit, nulla cum quâdam constantia inscribi in animo potest, inde ea oritur petulantia, de quâ te merito accusant, quæque mihi est pro signo evidentissimo acutioris sensibilitatis physicæ.

Systema nerveum sensus & motus organum esse jam demonstravimus, per juventutem nunc hujus actio perfectissima est; nervi enim eo tempore molles sunt, perpetuo rorè inebriantur, nimia elementi terrei copia, nondum eos induravit, nec ad sensum inutiles fecit; ideoque sensibus externis, rectius valent juvenes, & inde iis facilior est perceptio sensationum. Alia est causa, quæ ad perfectionem sensibilitatis physicæ in juventute, quomodocunque concurrir, novitas nempe sensationum: frequentior enim earumdem sensationum repetitio, sensibilitatem physicam obtundit. Sic Musicus dum clavicimbali claviculas tangit, de diversâ digitorum inflexione & positione, vix conscius est, ut verò ad eam

in suâ arte perfectionem deveniret, longo prius & difficili exercitio uti necessarium fuit, undè orta consuetudo, quæ altera est, ut dicunt, natura; per juventutem, omnes sensationes novæ sunt, nulla adest consuetudo, indè nondum obtunditur sensibilitas, & acutissima remanet; si minùs vivida esset, sensuum in animâ impressio magis durabilis foret. Institutorum itaque juventutis, qui pro bardis habent infantes, quibus propter minùs vividam sensibilitatem, sensuum in animâ impressiones profundiores sunt, tam frequentes sunt errores, ut ad id serio attendere deberent.

Cùm per juventutem perfectissima sit sensibilitas physica, cùm in eâ ætate sit mens sana in corpore sano, primùm videretur animæ actionem, seu potius sensibilitatem moralem, perfectissimam fore: multùm tamen abest quin res ita sit. Hujusce ratio in promptu est; jam vidimus animam, in florenti ætate, maximâ cum velocitate, sensuum impressiones recipere, nunc verò eâdem cum velocitate reagit, actioni æqualis est reactio: indè ad perceptas ideas, vix attendit juvenis, eas inter se leviter comparat, de iis non judicat: indè demùm ea petulencia, ea instabilitas in omnibus actionibus, sermonibus juventutis. At verò quanta audacia, quanta perspicacia, cùm juveni vires ingenii sunt explicandæ; eum non morantur animi affectus, præjudicatæ opiniones: neque *Condeus* sexagenarius vicisset in pugnâ *Rocroy*, neque ulla *Volarii* senilis satyra, scriptorum juventutis leporibus fuit adornata. Dixit *la Bruyere* (1): « les enfans sont hauts, dédaigneux, coleres, envieux, curieux, intéressés, volages, paresseux, timides, intempérans, menteurs, dissimulés, ils rient & pleurent facilement; ont des joies immodérées, des afflictions ameres sur de petits sujets, ne veulent pas souffrir le mal, aiment à en faire, jouissent du present, n'ayant ni passé ni avenir; » inferiùs verò addit: « la paresse, l'indifférence, l'oisiveté, vices si naturels aux enfans, disparaissent dans leurs jeux, où ils sont vifs, appliqués, exacts, amoureux des regles & de la symétrie ». Num ea omnia vitia, quæ sibi contradictoria sunt, simul in singulis infantibus, num verò successivè in iis reperiantur, de eo quidem non pronuntiat prædictus Author. Ut ut sit ejus opinio, confirmat imperfectionem sensibilitatis moralis hujusce ætatis, imperitiâque quorundam juventutis institutorum; cùm enim infantes ad laborem tardi sunt, alacres verò ad ludum, labor sit iis ludus & brevi ea ad studium tarditas evanescet. Sui ipsius amor, doloris timor, vix

(1) Page 280.

juvenem morantur in suis actionibus; certitudo physica veneni sibi obstat à venere meretrice, vix obstat quin exclamet.

O Barathrum, ubi nunc es? ut ego te usurpem libens! (1)

Mihi quidem causa hujusce imperfectionis in sensibilitate morali juventutis pendere videtur, ex eo quod memoria per juventutem nondum omni notionum, idearumque genere instructa sit, ad judicii perfectionem requisito; & ab eâ acutiori sensibilitate physicâ, quæ menti tempus non fuit necessarium, ut de diversis sibi repræsentatis ideis, judicare possit.

At undique conclamantes audio, nonnè animi affectiones per juventutem maximâ cum energiâ exerceri reperias? nonnè ad extrema juvenem rapit amor? nonnè majori misericordiâ emovetur quàm senex? nonnè amicos, parentes, se ipsumque certo periculo exponet, ut injuriam sibi illatam, inimici nece ulciscatur? hæc equidem adsunt, sed tantummodò imperfectionem in sensibilitate morali juventutis commonstrant. Priusquàm enim inimico vitam adimat, meminisse debet eam actionem sibi vetari ab humanitatis, societatisque institutis, aliundè judicare debet, nullam esse proportionem, delictum inter & poenam; cum existentia, privare velit (quod poenarum summum est) eum qui ad ejus vitam, nunquam nefariè cogitavit. Judicet anima, suas omnes exerceat facultates, tunc nullus aderit excessus, abusus que in sensibilitate morali. Neque arbitrentur me dixisse nullam adesse sensibilitatem moralem in juventute; procul à me ejusmodi sententia, illud tantum volui, sensibilitatem moralem imperfectam esse, in eâ ætate, quod quidem hujus abusus, demonstrat.

I V.

COMMUNI senectutis voce, à me non intelligitur ea hominis ætas, quâ destructis physicis, moralibusque vitæ compagibus, capularis senex, mortem quam proximam videt sibi dissimulat; sed illud vitæ stadium, quod æquilibrium, undè corporis perfectio constituebatur, à multis annis jam destructum, novus existentie modus, novus in œconomiâ animali rerum ordo instituitur. Jam diximus majorem esse in infantili ætate fluidarum partium ad solidas rationem, in juventute æqualem esse, sed ab eâ ipsâ ætate, solidarum partium ratio major fit, & ad usque mortem augetur. Indè ossa ponderosiora & compactiora sunt, cartilaginee *offescunt*, in membranis tendinibusque ossæa natura subnasci-

(1) Plaut. in Bachid.

tur, fibra musculoſa; textuſque cellularis ad eſſum modum indureſcunt, vaſa excæcantur. Diſſipatis humoribus à quibus diſtenſæ partes lævigatas offerebant formas, corpus ſtrigoſum fit. Indè candida mollis que in virgine nubili cutis, per ætatem indureſcit, rugis deturpatur, & ad olivæ flavedinem marceſcit. In tam univerſali ſolidorum induratione, non poteſt ſyſtema nerveum communi corporis legi ſe ſubducere: nerveos indurari, demonſtrat ſcalpellus anatomicus. Cum verò res ita fit, mirum videri nequit ſenſibilitatem phyſicam in ſenſu diſperdi, vel ſaltem obtuſiorem fieri: viſus itaque hebetior fit, adeò ut conſpicillis uti, ſumma oriatur neceſſitas; auditus gravior fit; à fortioribus tantum ſaporibus guſtus afficitur. Præter eam cauſam à generali corporis induratione ortam, alia eſt, de quâ ſuſè diximus quæ de ſenſibilitatis phyſicæ acie, in ſenectute aliquid demit; frequentiore hic volo earumdem ſenſationum repetitionem. Senſatio enim in mente ſenis facta, vel aliarum repetitio eſt, vel nova eſt; in priori caſu, à nobis demonſtratum fuit nullam, vel ſaltem minimam fieri impreſſionem; in poſteriori, ea nova ſenſatio cum aliis antea habitis comparatur, indè ejus impreſſio minuitur; ſic formoſam puellam æqualiter vident ſenex & juvenis, diverſum tamen in utroque produci eſſectum, ab omnibus in conſeſſo eſt.

Ex dictis, conſtat obtuſiorem eſſe ſenſibilitatem phyſicam in ſenectute. Si quis verò illud mihi negaverit, proferat ſenem, cui volupè non fit in memoriam ſibi revocare acta juventutis ſuæ, loca in quibus primas ſenſibilitatis phyſicæ commotiones percipit: proferat mihi ſenem, qui non fit, ut ait vates:

Laudator temporis acti

Se puero: cenſor caſſigatorque minorum.

nonne eo oblectamento conſpectu primorum penatium, iis laudibus præteriti temporis, contemptu præſentis invitè fatetur ſe eaſdem non percipere ſenſationes, minoremque ſibi aſſeſſe ſenſibilitatem phyſicam?

Minuitur ergò in ſenectute ſenſibilitas phyſica: ſed perfectior in eâ ætate ſenſibilitas moralis, illud vitium egregiè compenſat: non enim ut in juventute, à ſubita ſenſuum in animâ impreſſione dirigitur, ſed à diverſis ſenſationibus per totam vitam receptis, à memoriâ eventus rerum præteritarum, à longâ totius vitæ experienciâ, à præjudicatis demum opinionibus. Sui ipſius amor, exiſtentiaſque conſervandæ deſiderium, uno verbo, voluptatis amor, doloris averſatio, unde omnes oriuntur animi affectiones, cum præcedentibus cauſis conſentiunt, in dirigendis actionibus à ſenſibilitate morali pendentibus. Multum quoque hic

facit judicii maturitas. Dùm enim lento motu ideam compositam anima expendit ; ejus discrimina à similibus ideis faciliùs percipit , & certiori modo judicat. Non ea itaque florentis ætatis petulentia , audacia , instabilitas reperitur , fenex factus homo cogitat , præsens cum præterito comparat , circumstantias expendit , futura prospicit ; indè is lentor , ea prudentia quæ ad senectutem verè pertinent : indè consilio magis valent senes , rebus publicis gerendis , nemine reluctante , aptiores sunt.

O nullâ unquàm veneratione satis colendi senes , qui juventutem laboriosam honestamque transegistis , qui nimias sensuum affectiones colibuitis ! Dotes acquisitæ , dotes vestræ ætati propriæ , vos suprâ cœteros homines ponerent , nisi quædam præjudicatæ opiniones , quædam vitia , quæ potius infirmitates quàm vitia dici possunt , vos ad communem hominum classem reducerent : nonagenarius *Fontenelle* , conversâ in se totius Europæ admiratione , placitis tamen Carthefii adhærebat , quæ à sexaginta & plus annis obsoleverant. Quàm à vobis dissimiles ii qui juventutem sensuum impressionibus obsequiosissimam degerunt ! eorum anima , ex longo veluti lethargo per senectutem suscitata , vix se ipsam agnoscit , nulla tenus sibi ipsi imperare consueta , pristinam servitutem desiderat , mox votis obsequentes , eam adeunt affectiones , quæ ipsam eò dirioribus vexant cruciatibus , quò perfectior sensibilitas moralis. Videas itaque avarum , quæ fors suâ tristior ? quot curæ , quot vigilæ , quot artificia ad conservandam augendamque dilectam arcam ; in omnium copiâ Tantalus alter , omnibus eget avarus , sibi ipsi denegat vitæ necessaria , vix fabas & lupinos , dente avaro corrôdit : alter novus Trimalcio , varietate fastidia longæ satietatis superare tentat ; quod in amabili sexu formosius , quod in salibus acrius , liquor vini stillatius concentratissimus , melodia expressior , vix languentes ejus sensus excitare possunt : is qui vix triticum à secali distinguit , insectorum metamorphosim ignorat , magno tamen cum apparatu , magno cum dispendio , diversas naturæ productiones colligit congeritque. Ille qui nullos imperii hostes debellavit , attamen Martis insigniis domum , suppellectiliaque decorat. Cur ea quæ ne quidem imbecillioribus fucum faciunt ? cur tot curæ , anxietates ? nisi ut animi affectionibus avaritiæ , sensualitati , vanitati , superbiæ obsequantur ; sed hi homines , iis affectionibus addictos se esse non existimant : avarus enim suam avaritiam pro œconomiâ prudenti habet ; ambitiosus se patriæ utilitati consulere , sibi met ipsi fingit. Ille vanitate inflatus stolidâ , qui diversas naturæ artiumque productiones colligit , se scientiarum , artiumque protectorem putat. Eæ animi affectiones , à quibus primo intuitu nostra assertio infirmari videretur , eam tamen confirmant : ea enim ipsa subtilitas in suis tuendis conservandisque affectionibus , ea prudentia in actionibus ab

animi affectionibus productis, energia demum earum affectionum, magis ac magis demonstrat eam quam in sensibilitate morali senectutis annuntiavi perfectionem.

V.

PENSUM me absolvisse nunc arbitrari licet; quid sit sensibilitas, & quâ ratione in physicam & moralem distinguatur, pro posse meo dixi. Expositâ utrâque sensibilitate in universum prout in ordinario vitæ cursu reperitur, ad questionis objectum specialiter properavi. A me demonstratum est in juvenili ætate nervorum sensum acutissimum esse, sensibilitatem physicam perfectissimam esse, animamque facillimè sensuum impressiones recipere; sed ab eâ ipsâ facilitate in recipiendis ideis, à celeritate quâ eæ sibi succedunt, demonstratum est animam circâ perceptas ideas sufficienti modo facultates suas exercere non posse; ad hanc causam revocari debere minus perfectam sensibilitatem moralem diximus. In senio pariter osensus est ob callosam ferè nervorum naturam, sensuum impressiones ægrius menti traduci, imminuique sensibilitatem physicam; ab eâ causâ perfici sensibilitatem moralem demonstravimus. Dùm enim pauciores ideæ menti repræsentantur, anima in suis operationibus circâ perceptas ideas minus deturbatur, facilius ad eas attendit, accuratius eas inter se comparat, certiorque modo judicat; in senectute itaque maximo cum splendore nitet sensibilitas moralis.

Ergo alia in senili, alia in juvenili ætate sensibilitas tùm physica, tùm moralis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes THAURAUX.

M. Maria-Zorobabel MÜNTER,
Consiliarius Medicus Regis ordinarius,
domus Regiæ Invalidorum Ducum & Militum, &
antiquus Regis in Colonia Orientalibus Medicus.

M. Natalis-Andreas-Joannes Baptistæ CHESNEAU.

M. Henric-Alexand. TESSIER,
Clericus, Censor Regius, & Regiâ Scientiarum Academiâ.

M. Deodatus JEANROY.

M. Antonius PETIT, in horti Regio Anatomie & Chirurgia Professor, & Regiâ Scientiarum Academiâ, & Militarium Regni Nosocomiorum Inspector.

M. Augustinus THOURET.

M. Claudius-Franciscus DU CHANOV, & Regiâ Scientiarum Academiâ Divionensi.

M. Stephanus POURFOUR DU PETIT, antiquus Facultatis Decanus, Rei Herbariæ Professor.

Proponebat Parisiis, FRANCISCUS-ANTONIUS-JACOBUS DUVAL, ex insulâ Borbonicâ, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theses Auctor.

A. R. S. H. 1788. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi, 1788.

